

1143.

1. 00
2. 00

1000000000

a. Kg 4999 (196) ←
L. P. in [1/2 11 18] ←

00 ←



1. Trykius, de vitis rerum venalium.
- II. le Moigne, de Cambiis.
- III. Trykius, de cambialium literarum acceptatione.
- IV. Franckius, de induciis ad literas cambiales sol-
vendas cavendum termino addi solitis.
- V. Bastineller, de jure creditoris literarum cam-
bii cum vel sine clausula hypothecae
in concursu.
- VI. Bergerus, de exceptione non numerata pecunia
adversus cambium.
- VII. Rorrig, de presentatione literarum cambi-
alium.
- VIII. Vondorff et Bernstein, de termino premito-
rio solutionis et protestationis cam-
bium.
- IX. Freherus, de Statuta Caroli M. Imp.
- X. Ludovic, de Jure quod sibi Galliarum Rex
in Lotharingiam postularit, usque
pariterque haecenus.
- XI. de differentiis juris Romani et Ger-
manici in Mutuo.
- XII. de primo Foro subfeudorum imperii-
salium.
- XIII. de Noriberga insignium imperiali-
um tutelari.
- XIV. Bodinus, de literarum obligatione a do-
ctorum erroribus vindicata.
- XV. de testamentis irrevocabilibus.
- XVI. Bohmerus, de iniquitate et injustitia
actionum injuriarum.
- XVII. de jure precum publicarum
de Anno desertito, seu Salario
promerito.
- XVIII. de Libellis alternativis.

- XX. Böhmnerus, de incongrua praxi doctrina
de sponsalibus de futuro et
de presenti.
- XXI. de Sententiis in rem iudica,
tam non transeuntibus
- XXII. de Involucris Simonie dete,
ctis.
- XXIII. Lodericus, de Capitulationibus bellicis.
- XXIV. de Involucro.
- XXV. de Anticipatione in Foro.
- XXVI. de duobus circa eodem fa,
tum concurrentibus.
- XXVII. de Effectu Baptismi juridico.
- XXVIII. Bastineller, de Successione vidua, ex
lege Hallensi.
- XXIX. Schneider, de Promotionibus per sal,
tum.

LITTERARUM
OBLIGATIO A DO-
CTORUM ERRORIBUS

VINDICATA,

DISSERTATIONE JURIDICA INAUGURALI,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, RELIQUA,

IN REGIA HAC FRIDERICIANA
PRÆSIDE

DN. HENRICO BODINO,

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS BORUSS. CON-
SIL. ECCLES. IN DUCAT. MAGDEB. PROF. JUR. ORDIN.
ET FACULT. JURID. h. t. DECANO,

PATRONO AC PROMOTORE SUO ÆTATEM
DEVENERANDO,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
CONSEQUENDI

Ad d. *Novembr. M DCC XIII. Horis ante- & pomeridianis*
Publice Disquisitioni exhibita

DANIELE HAMPIO, SORBIGA - MISNICO,
Not. Publ. Cæs.

HALÆ MAGDEBURG. Typis Joh. Jacobi Kresbii, Acad. Typogr.

(XIV.)

*SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,
DN. AUGUSTO,*

*DUCI SAXONIAE, JULIACI, CLI-
VIAE AC MONTIUM, ANGRIAE QVO-
QUE ET WESTPHALIAE, LANDGRA-
VIO THURINGIAE, MARCHIONI MIS-
NIAE, ET UTRIUSQUE LUSATIAE,
PRINCIPI COMITI HENNEBERGAE,
DOMINO RAVENSTEINII &c.*


*DOMINO SUO CLE-
MENTISSIMO,*

HAS THESES INAUGURALES

HUMILLIME

*DEDICAT, OFFERT, ATQUE
CONSECRAT*

*DANIEL HAMPE,
A.&R.*



I. N. D. N. 7. C.



Admirandus ille natu-
ræ Conditor, perfectissimam
illam, corporalium ac spiri-
tualium compagem, homi-
nem scilicet, tanta invicem
corporis & animi harmonia
condidit, ut quemadmodum

*quo sensu sui
nature re-
quirat pro-
missa ser-
vare.*

in vita perfectiori spiritus ad felicissimam immor-
talitatem adspirabat, cui quæcunque corporis or-
gana eodem prodesse parata erant, ita quoque
ex radicali labe prævalente jam corporis domi-
nio ad explendas ejus cupiditates animus natura-
li quasi instinctu proclivis fit ; unde ex corporis
structura dependentes inclinationes seu affe-
ctus, animus adimplere appetit, & contra corpo-
ris organa ad animi desideria explenda parata
sunt. Ex quo indubitato sequitur sermonem
ad colendam inter homines societatem inter-
venientem, ex ordine naturæ aliter non adhiben-
dum esse, quam ad vera animi sensa alteri ex-
primenda; & qui aliter, ad decipiendum incau-
tum, eodem utitur, organis naturalibus contra

creatoris ordinem abuti, quo sensu recte dicitur ex quocunque declarato consensu homines invicem naturaliter obligari, ac ita ex pacto actionem competere. Quia vero sæpius signa declarandi animi, apodicticam certitudinem non habent, quilibet autem qui ea adhibuit optimus sit eorundem interpretis, fluctuans quoque hominum animus ac incertus futurorum eventus facile ad mutandas animi destinationes inducere possunt, in communi vero indigentia ordinatus amor incipit a se ipso, nisi quatenus plurimum salus aliud postulet, ideo in societate civili, mentis indicia, ad cogendos invitos certis cautelis recte determinantur ac pœnitentiæ limites assignantur, ut hisce observatis de enixo proposito dubitari non possit, ac in certis negotiis propter communem ex illorum irrevocabili obligatione dependentem salutem alteri contra invitum valida & efficax ad cogendum actio oriatur. Cœteris in libertate naturali quoad revocationem, & incognita alterius conscientia quoad certitudinem & explicanda animi sensa relictis, quibus eo rectius observatis quo incerta alias negotia aliter expediri non possunt: facile & veritas & justitia ejus demonstrari potest, quod ex pacto neque ex certa lege, neque ex negotio irrevocabili adjecto, aliove modo ad fidem omnimodo servandam determinato, actio non competat, sed horum adimpletio bonitati & prudentiæ morali relinquatur; de quo prolixius egit Præses in disp. *Vindicia pactorum juris*

Unde ex pacto non datur actio.



(5) 10
vis Romani, ad demonstrandum ex pacto nudo efficacem
actionem dari non posse.

Th. II.

Civilis autem hæc determinatio vel ad co-
ercendos malos per certam reparationem da-
mni, uti in delictis, vel ad excitandam in certis ^{Obligationis}
negotiis eo majorem attentionem, pro damno ^{fundamen-}
ab altero avertendo uti in quasi delictis, sola le-
ge nititur, vel in sufficienti consensu ac volun-
tate sese valide obligandi ut in contractibus vel
quasi se fundat: recensendo negotia seu facta
ex quibus juris vinculum ad necessariam præ-
stationem alicujus rei inducatur; ut ita in foro
externo alia quam civilis obligatio in confide-
rationem externæ coactionis venire nequeat.
Exhibent autem, præter facta ipsa, ex quibus an-
tecedens generalis consensus in negotiis alias
incertis & innominatis ad reciprocam præstatio-
nem determinari facile potest, veteris pruden-
tiæ volumina tres contrahendi, seu se firmiter
obligandi legitimos modos scil. ut in certis
in jure denominatis negotiis qualiscunque de-
claratus consensus irrevocabilem obligationem
juxta communem Gentium usum inducat, in
aliis determinatus animus firmiter se obligan-
di ex conceptis utriusque partis verbis & illo-
rum convenienti intellectu colligendus sit.
Cæteræ vero promissiones ante realem adim-
pletionem ab una parte in libero arbitrio pro-
mittentis relinquuntur *vid. l. n. S. i. ff. d. obl. & act.*

A 3

Non

non quod tales pactiones non servare justum & in conticientia licitum sit, sed quod expediat harum adimpletionem liberæ voluntati relinquere & ex sponte observata fide vir bonus eo melius cognosci possit; quam ut, sub incerta voluntate & proprii boni renunciacione, ad incogitata cogi possit. Caveat inde tamen vir honestus etiam in mere gratuitis ex gr. concedendo gratuito usu rei suæ similibusque fidem fallere, quamvis facile causam mutati propofiti allegare & ad adimpletionem quamdiu re nondum inita obligatio est, cogi non possit.

Th. III.

Præter recensitas vero ex *d. l. 1. §. 1. d. o. & A.* tres contractuum origines, in institutionibus Justinianeis quarta species contractuum, litterarum scil. obligatio adducitur; quam quidem veteribus æque usitatam & tantum in *diēt. l. 1.* incuria compilerum juris omissam fuisse sustinere conatur, Illustr. Dn. de Lyncker, in peculiari tract. *Restituta liter. oblig.* Verum cum ipse *cap. 3. diēt. tract.* fatis erudite demonstrat, plane aliud esse scripturam aliis negotiis adhibitam, a litterarum obligatione, utpote quæ per se absque alio, negotio actionem ex solis litteris producat, simul quoque *ibid. N. 5. ex l. 25. §. fin. ff. d. prob.* largiatur quod prætensa illa veterum litterarum obligatio, sine alio titulo debendi per se causam petendi non constituat, intellectu difficile est, quomodo illud quod inter præsentis aut absentes literis conventum est pro singulari contractus spe-

Litterarum obligatio o-
lim incogni-
ta contra
Dn. Lyncker

(7)
specie venditare velit. Quemadmodum enim non minus obligatio emti venditi inducitur, si inter contrahentes convenerit, ut venditio fiat in scriptis, *pr. Inst. d. emt. vend.* ita non minus manebit verborum obligatio, si absens quis per literas alterius obligationem in se receperit, dummodo illa fidejussio, aliave obligatio ante acceptationem revocata non sit, *arg. l. 3. pr. §. 1. ff. d. pollic. junct. l. 10. d. donat.* ratione cujus inter absentes stipulationem proprie fieri vulgo negant, quod ad antiquas inter presentes recitandas solennes formulas tantum pertinebat, quibus sublatis & præter convenientem intellectum & sensum nihil amplius ad verborum obligationem requisitis, *§. 1. Inst. d. Verb. O.* nihil impedit quod & verborum obligatio literis fieri possit. *l. pen. C. d. contrab. §. committ. stip.* quo pertinet textus notabilis in *l. 38. ff. d. obl.* quamvis illum, textum pro tuenda sua opinione adducat supra laudatus Autor. Neque etiam in contrarium movent. *l. 2. §. 1. dict. tit. §. l. 4. ff. Locat.* cum aliud plane sit, interdum scripturam ad aliquod negotium adhiberi, aliud vero essentiam conventionis nec in consensu nec in re, nec in verbis sed tantum in litteris consistere. & quamvis in *dict. text.* alicujus contractus in quo litterarum proprietas requiritur, mentio fiat, tamen, externa proprietas essentiam rei non constituit, e. gr. in omni sententia requiritur ut in scriptis concipiatur, & sic litterarum proprietas ad illas necessaria est, *l. 1. §. ult. C. d. sent. ex pe-*

rit.

ric. recit. neque tamen recte quis dixerit ex sententia oriri literarum obligationem; sunt etenim de his scripturæ, ut quod actum est per eas probari possit, quæ tamen literarum obligationem non inducunt. *l. 4. ff. de pignor.* Utrum vero per obligationem nominibus factam, olim usitatam §. *un. Inst. d. lit. obl.* scripturæ tantum argentariorum, an vero & alia chirographa intelligantur (quo Gothofr. *in not. ibid.* collimat) *vid. quoque Siruv. cum alleg. Syst. Jur. Civ. Ex. 16. sb. 4.* non satis liquet; verosimilius tamen est, de singulari negotio ibidem agi, quod relatione in mensam argentariorum perficiebatur. *vid. l. 9. ff. d. pact. ac Gothofr. ibid.* olim illud sufficiat, ex *dict. tit. d. liter. obl.* constare, tempore compilati juris obligationem nominum aliamve literarum in usu non fuisse; in quo juris conditoribus & imperatoria Autoritate hoc attestantibus magis credendum, quam ut per varias divinationes ex textibus qui de adhibenda aliis negotiis scriptura mentionem faciunt, contrarium sibi persuadere. Hinc claro textui insistimus in *l. 1. §. 1. d. obl. & act.* ubi tres tantum contractuum fontes recensentur: quamvis largiamur, super aliis negotiis scripturas seu instrumenta fieri, quo magis probari possint, ex quibus tamen literarum obligatio tanquam singularis species contractus, sine sufficienti fundamento in *c. 4. dict. tract.* per varia exempla affertur, quæ facile evidentiora evadent, si ex illo negotio contra reluctantem libellum formaveris, qui semper aliud genus actionis quam solas literas continebit.

Th. III.

Th. IV,

Introductam tamen ab imperatoribus literarum obligationem pro singulari contractuum specie nobis certum est, ex §. ult. Inst. d. oblig. Hinc merito solliciti sumus, in fundamentum & *Varie Dd.* *opinionis re-* *judicium.* *essentiam illius contractus penitius inquirere,* quod Doctoribus eo difficilius fuit, quo indubitati juris est, ex litteris nullum fundamentum agendi desumi posse, nisi ipse qui eas exposuit, specialiter causam explanaverit, ex qua easdem conscripserit, quæ falsa vel nulla demonstrata scriptura illa nihil operatur. d. leg. 25. §. fin. ff. d. prob. Plerique eo confugiunt, ut litterarum obligationem dicant mutuam ex chirographo præsumtum vid. Bachov. in not. ad Wesenb. tit. d. reb. cred. n. 9. quod dum alii refutare conantur, litterarum obligatio illis dicitur omne instrumentum super mutuo confectum; vid. Struv. dict. Exerc. 16. th. 43. quod quomodo cum speciali contrahendi forma th. 40. ib. asserta conveniat, non capio: mutuam enim re contrahitur, & tale chirographum tantum ad ejus probationem pertinet, de quo infra. Alii existimant, intra biennium, nullum mutuam per debitoris chirographum recte probari, sed huic semper obstare exceptionem non numeratæ pecuniæ, quam allegasse sufficiat, illamq; creditorem alia probatione elidere debere, Struv. cum alleg. dict. l. th. 48. post biennium vero demum talia chirographa vim probandi habere

B

bere

bere, donec alter contrarium probet; quam opinionem communem esse asserit *Struv. d. l. ib. so.* Sed equis non videt, in hisce casibus tantum de probatione mutui, utpote quod non literis sed re contrahitur, agi, insuper gravissime hic errari, quod chirographum ex mutuo demum post biennium probet? dum ita in credito ad brevius tempus creditor per nullam debitoris scriptam cautionem sibi consulere possit; siquidem qualescunque cautelae adhibeantur, tamen illud spe numerationis factum esse aequè praetendi possit. Potius ergo exceptio non numeratae pecuniae in materia probationis adhibita alium contractum de quo litigatur praesupponit, e. gr. nego metibi ex mutuo utpote quod re contrahitur debere, dum pecunia in chirographo expressa mihi numerata haud sit, ubi jam non de peculiari aliquo chirographario contractu, sed quousque illa scriptura ad probandum mutuum valeat nec ne, controversia movetur, & sicubi appareat, cautionem super mutuo accepto, debitoris manu conscriptam esse, illud chirographum tam diu pro vero & valido habendum donec probetur contrarium *d. l. 25. in f. ff. d. probat. §. 1. 14. §. 1. C. d. non num. pecun.* Hoc est quod Saxones exprimunt, **Handt und Siegel sollen** paratam executionem **nach sich ziehen** / ita ut agnito chirographo scriptor solvere, suamque exceptionem non numeratae pecuniae separata actione proponere & probare debeat: nisi ipsum chirographum in continenti aliis instrumentis expugnare possit: *d. l.*

25. in



25. in f. Neque enim illis assentimus, qui sustinent: creditorem contra adversarium chirographum agnoscentem & exceptionem non infecutionis intra biennium objicientem, numerationem factam probare debere; sic enim tale chirographum ad nihil prodesset, & mortuo intra biennium debitore, heredes ejus a solutione summæ in chirographo contentæ semper se liberare possent, si numerationi non adhibiti fuerint testes; imo cum & hos biennium supervicturos dubium sit, nulla creditori sufficiens certioratio dari posset quam si ipsa numeratio judicialiter fiat, & de ea publicum instrumentum confectum sit: Potius ergo exceptio non numeratæ pecuniæ ab eo qui chirographum agnovit intra biennium allegata, probari debet, *l. 13. C. d. non numer. pec. junct. l. 1. & 2. ibid. l. 1. C. d. condict. ob turp. caus.* nisi gravissimis pro se adductis præsumtionibus ad juramentum suppletorium sese offerat; tunc enim vel ad hoc admitti, vel dictæ præsumptiones contraria probatione elidi debent. Biennii vero tempus, ideo exceptioni non numeratæ pecuniæ præscriptum est, ut eo elapso illa prorsus non attendenda, nec allegans ad juramentum admittendus sit. *l. 14. §. 3. C. de non numer. pec. junct. um non admittuntur* *pr. ibid.* ex quo corrui communis illa Dd. opinio quod post biennium dicta exceptio sit admittenda, si allegans eandem probare velit, uti post alios volunt *Siruv. Exerc 16. ib. 50. cum alleg.*

Exceptio
non numeratæ
pecuniæ
ab allegante
probande

que probatio
post biennium



Th. V.

Neque in contrarium movet. *l. 3. C. d. non numer. pec.* utpote in qua Antoninus Imperator, Demetrio super recepta, non vero adnumerata pecunia singularissime rescripsit, ex quo a communi regula non recedendum. Multo minus obstat *l. 10. d. iis.* cum enim in hoc textu de probanda solutione debiti agatur, hujusque asseveratio, exceptioni non numeratæ pecuniæ, seu meræ negationi contradistinguatur, ex eodem præcedens conclusio magis corroboratur, quam ut vel minimum in contrarium evincat. Et huic opinioni quoad Ius Civile accedit. Herm. Zoll. Rinthelensium Decus in peculiari tractatu de *Except. non numer. pec.* Et quamvis ille in *ib. 4. ibidem* evincere conetur æquitati & juri can. convenientius esse, probationem non numeratæ pecuniæ etiam post biennium admitti; tamen cum prætenfa illa æquitas variis malitiis ansam dare possit, ex adverso vero illi, qui talem cautionem scripsit, numeratione non secuta paratissima remedia contra lapsum fatalem biennii præscripta sint, ut ipsi imputandum sit; ac gravem præsumptionem doli inducat, si illis non adhibitis, in scriptis datam fidem non nisi post multum temporis spatium impugnare instituat, ac interim sibi de securitate prospicere noluerit; illa quoque regula juris canonici de bona fide in omni præscriptione requirenda, potissimum ad usucapiones qui-

(19)
quibus dominium acquiratur, non vero ad tem-
poris præscriptiones sit referenda: non dubitamus
asserere supra deductam sententiam de quere-
la non numeratæ pecuniæ post biennium non ad-
mittenda nulli Juri vel æquitati contrariam esse.

Th. VI.

Ex hisce deductis facile apparet, quod chi-
rographum super mutuo datum per se nun-
quam actionem producat, sed tantum ad pro-
bandum proficit, ita ut post biennium præsum-
tionem juris & de jure inducat, scilicet ut non ad-
mittat probationem contrarii, nisi quatenus hæc
cum notorietate sit conjuncta, tota vero causa
super tali chirographo de eo vertatur, utrum
reali numeratione mutuum sit celebratum, aut
aliam antecedentem causam præsupponat. *l. 13.
C. d. non num. pec.* Proinde talibus literis neque
ab initio ipse contractus nititur, neque ex post
facto illa qualitas accedit, ut sine omni confide-
ratione adscripti negotii, veluti mutui, effica-
cem producant actionem: quicquid nonnulli de
antiquis solennibus formulis in literis adhiben-
dis, pro formanda literarum obligatione sibi
præfigurent, siquidem etiam hæc formulæ si quæ
fuerunt, jam dudum abrogatæ erant, *pr. Inst. d.
Verb. obl.* cum Dominus Tribonianus pro ab-
undanti suo ingenio & nimio pruritu antiqua e-
mendandi literarum obligationem de novo in-
trodixit. *vid. tot. tit. d. litter. oblig.*

*Chirogra-
phum ad ac-
quoscendum
mutuum non
datum, non
producit li-
terarum ob-
ligationem.*

B 3

Th. VII.

Th. VII.

Investigandum ergo quodnam illud negotium, quo vetustas cavere & ex solis literis obligatio produci potuerit. Et hoc necesse est ita figuremus, ut ipsum negotium sine literis nullam efficaciam juris producere potuerit: Ubi illud in confesso positum, ex sola conventionione, quæ nec nomen nec causam habet, nullam produci actionem, l. 7. pr. C. §. 4. ff. d. Pact. l. 10. l. 21. C. cod. vid. præpimis Struv. Syni. Jur. Civ. Exercit. 6. tb. 14. quod in pacto de vendendo aliisve conventionibus de contrahendo, evidens est, quam maxime vero in promissionibus gratuitis, uti & illis quæ re perficiuntur, & negotiis innominatis sese exferit, ut scil. hæc, quamdiu in nudis placiti finibus subsistunt, actionem scil. efficacem non producant, sed pœnitentiæ locum relinquunt, quod post Carpz. P. 2. Const. 33. def. 23. multis probat. Struv. dict. Exerc. 6. tb. 32. Testante quoque Illustr. Dn. Lynkero, dict. tract. C. 4. §. 2. cum verissima & NB. in foro etiam recepta sit sententia, ex pacto qua tali seu nudo, ne nunc quidem actionem competere posse; eo minus dubitandum, ex pacto de donando qua tali actionem non competere. Et licet Dd. Commun. sustineant, illud per l. 35. §. fin. C. d. Don. confirmatum & sic pro pacto legitimo habendum esse, vid. Struv. dict. Exerc. C. tb. 20. n. 3. cum alleg. accuratius tamen dictam legem inspicienti apparebit, illam expresse

Casus Justinianeæ literarum obligationis

Investigandum ergo quodnam illud negotium, quo vetustas cavere & ex solis literis obligatio produci potuerit. Et hoc necesse est ita figuremus, ut ipsum negotium sine literis nullam efficaciam juris producere potuerit: Ubi illud in confesso positum, ex sola conventionione, quæ nec nomen nec causam habet, nullam produci actionem, l. 7. pr. C. §. 4. ff. d. Pact. l. 10. l. 21. C. cod. vid. præpimis Struv. Syni. Jur. Civ. Exercit. 6. tb. 14. quod in pacto de vendendo aliisve conventionibus de contrahendo, evidens est, quam maxime vero in promissionibus gratuitis, uti & illis quæ re perficiuntur, & negotiis innominatis sese exferit, ut scil. hæc, quamdiu in nudis placiti finibus subsistunt, actionem scil. efficacem non producant, sed pœnitentiæ locum relinquunt, quod post Carpz. P. 2. Const. 33. def. 23. multis probat. Struv. dict. Exerc. 6. tb. 32. Testante quoque Illustr. Dn. Lynkero, dict. tract. C. 4. §. 2. cum verissima & NB. in foro etiam recepta sit sententia, ex pacto qua tali seu nudo, ne nunc quidem actionem competere posse; eo minus dubitandum, ex pacto de donando qua tali actionem non competere. Et licet Dd. Commun. sustineant, illud per l. 35. §. fin. C. d. Don. confirmatum & sic pro pacto legitimo habendum esse, vid. Struv. dict. Exerc. C. tb. 20. n. 3. cum alleg. accuratius tamen dictam legem inspicienti apparebit, illam expresse

se de donatione perfectissima constituta, non vero de aliqua in futurum promissa adhuc facienda disponere, contra cuius adimpletionem, infinitæ proprii præferendi commodi causæ allegari possent. Quicquid tamen sit, sufficit ad nostrum scopum omnes in eo consentire, ante hanc constitutionem de servanda futura ac promissa donatione, ne quidem stipulatione alteri irrevocabile jus acquiri potuisse; donec introducta literarum obligatione hoc remedium inventum fuerit; ut si quis alteri cautionem in scriptis dederit, quod eidem certam pecuniæ summam, **als von ihm baar empfangen und geliehen Geld** solvere velit, illamque scripturam alteri per biennium reliquerit, tunc eandem præsumtam donationem inferre, ita quidem, ut licet actor fateatur, sibi nullam numerationem factam esse, tamen ad solvendum denominatam summam reus ex illa scriptura condemnandus sit, & nulla querela non numeratæ pecuniæ hic locum inveniat; vid. *l. 6. C. d. Non num. Pet. Barbosa ad l. 5. ibid. n. 1.* Oritur quippe ex tali scriptura obligatio contra scribentem, ut quod tanquam mutuum se soluturum promisit, licet nihil numeratum acceperit, sine omni exceptione tanquam donatum solvat; cui optime convenit textus in *§. un. Inst. d. lit. obl.* tanquam sedes hujus materiæ. Dum enim ibid. expresse dicitur, quod de non admittenda post multum tempus exceptione non numeratæ pecuniæ contra confessionem debiti sæpissime retro constitutum fuerit: de convalidanda vel restrin-

stringenda illa jamdiu usitata exceptione, ex professo ibidem non agit, sed postquam ejus tanquam alicujus exempli mentionem fecerat, ut post præscriptum tempus valide opponi non possit, concludit. Sic hodie illam scripturam, quæ exceptionem non numeratæ pecuniæ plane non admittit, obligare innuit; per quæ generalia & subobscura verba, ad casus similes præsumtæ donationis, ubi de non numerata pecunia prorsus quæri non potest, respicit. Illud tamen non negandum, ex hoc textu quoque, chirographum super mutuo datum elapso biennio aliquam literarum obligationem producere, modo agens statim ab initio, fundamentum suæ actionis magis in scriptura, quam in mutui datione & ita reali numeratione ponat.

Th. IX.

Neque tamen ex literis; producta præsumpta donatio quoad effectum aliis donationibus æquiparanda, ut vel propter ingratitudinem revocari possit, vel actis insinuari debeat, cum hæc per adjectum pactum, seu in scriptis conceptam formulam: denominatam scil. summam TANQVAM EX MUTUO SOLVENDAM ESSE, daß es als geliehen Geld bezahlet werden solle / plane in mutuum ratione debitæ solutionis transmutata sit, & ita conditionem certi quasi ex mutuo producat; vid. l. 24. §. l. 26. §. 1. ff. de pos. quod secus est, si simpliciter super donatione, nulla mentione

Differt tamen literarum obligatio à donatione.

ne mutui facta cautio concepta sit; tunc enim distinguendum, vel in nuda promissione futurae donationis consistit; e. gr. *bezeuge hiemit daß ich N. N. 100. Rthlr. als ein freywilliges Geschenk zugeben versprochen / & hæc nullam actionem producit; nisi in dotem vel propter nuptias promissio facta vel cautio jam factam donationem confirmat, daß dem N. N. hiemit 100. Rthlr. geschenkt seyn sollen / qualis perfectissima constituta donatio ex eo quod traditio non accesserit infirmari non debet, sed illam necessarius traditionis effectus sequatur, qui genuinus sensus est. l. 35. §. fin. C. d. donat. quo remedio ad confirmandas donationes introducto, subtili illa à Triboniano excogitata literarum obligatione, opus jam non est, sed rectius & simplicius. veteri tripartitæ divisioni contractuum, quod scil. vel re, vel consensu, vel Verbis ineantur insistimus, dummodo accedente utriusque partis consensu, verba inter absentes vel alias litteris concepta, idem quam ore prolata operentur*

Th. IX.

Cæteras vero obligationes, quibus literæ quidem ad majorem firmitatem accedunt, (de quibus supra actum) non vero solis literis, oppositive scil. ad reliquos obligandi modos, ineuntur, hic merito præterimus, licet tales literæ a scriptore recognitæ, in unilateralibus negotiis, paratam operentur executionem; quod & veteri jure obtinuisse

*Processus
Executionis
in jure Rom.
fundatus*

C

pro-

locum non
habet in bi-
lateralibus:

(18)
probabile est, quod instrumenta quibus actor contra reum ufurus erat, coram prætore antequam partes ad iudicem pedaneum mitterentur edenda fuerint, & tunc in confessum executio mandata. Secus ac in bilateralibus ubi iudex prius explorare debet, quid rursus ab actore reo præstandum juxta §. 30. d. act. & pr. I. D. O.

Th. X.

Cambium
ad liter. ob-
ligatione re-
ferendum.

Dantur tamen hodie negotia quæ non nisi literis iniri & ex folis literis obligationem & actionem producere videntur e. gr. Cambia; scil. illa quæ vulgo literaria vocari solent, vid. *Struv. Exerc. 25. th. 30.* utpote contra quæ exceptionem non numeratæ pecuniæ locum non invenire, vulgo prætentendunt, vid. *Riccus cum alleg. Decif. Neapol. 55. in fin. Carpz. lib. 2. Resp. 9. Stipm. d. Jur. marit. & Naut. P. 4. c. 8. n. 118.* alii Cambium referunt inter contractus innominatos, vid. *Struv. d. l.* quo posito vix ratio solida dari possit, quare in cambio quo quis se ipsum debitorem constituit dicta exceptio non possit obmoveri, cum essentia contractuum innominatorum in eo consistat, ut actio demum post propriam ad impletionem nascatur, *l. 5. §. 2. d. Præsc. Verb.* Cum vero Cambium determinatam suam formam, si non plerarumque Gentium Jure, tamen juxta constitutiones provinciales & ex usu Mercatorum acceperit, ita ut jam ex solo nomine de præstatione contrahentium satis constet, non dubitamus hoc negotium ad contractus nominatos refer-

ferre, ex quo tam ille qui cambium ab altero deside-
 ravit, quam ille qui illud scripsit aut accepavit, sub
 paratissima executione obligatur; vid. *Dn. Ludovici in elegant. tract. Einleitung zum Wechsel-Recht/*
cap. 4. §. 9. pag. 61. Negari tamen non poterit, per-
 fectam cambialem obligationem non ex solo con-
 sensu seu promissione de pecunia alicui solvenda
 sed ex litetis cambii alteri datis oriri, & hoc sensu
 Cambium ad litterarum obligationem non ine-
 pte referri. Quod autem exceptionem non nu-
 meratae pecuniae concernit, distinguendum exi-
 stimamus, aut enim literae cambiales in ipsum
 scriptorem sunt directae. v. gr. *Uuff diesen meinen*
Wepelbriefß zable ich Endesbenanter ic. & tunc si ab
 eo cui cambium datum cautionem accepit de in-
 validitate cambii, seu non numerata pecunia, con-
 tra hunc ipsum merito audiendus est, *arg. l. ij. C. d.*
non num. pec. poterit quoq; intra triginta dies con-
 tra confessionem acceptae Valutae, hac non secuta,
 eundem cui cambium dedit, ad illud repetendum
 convenire *d. l. 14. §. 2. & Dn. Ludov. d. l. si vero tale*
 cambium in manus tertii per consvetas negotia-
 tiones sit translatum, contra propriam confes-
 sionem, acceptae solutionis pretii illius cambii, seu Va-
 lutae, exceptio vel querela non admittenda, dum-
 modo in ipso Cambio facultas illud in alterum
 transferendi contineatur, sc. *an N. oder dessen*
Ordre. sine quo jus cambii non retinebit: quam-
 vis tanquam aliud nomen cedi possit, ubi excep-
 tio cedenti obstans, cessionario quoque obstabit.

quousque
exceptio
non num.
pec. in cam-
bio sit attenti-
decada.

Th. XI.

Dum vero quittantia de accepta Valuta non ubique fit de essentia Cambii, præsertim per alium & in alio loco solvendi de quo vid. *Dn. Ludovici dict. tract. c. 2. pag. 29. & seqq.* per consequens non minus pro cambio fit habendum, quod interim in alterius securitatem sine Valuta datur, dubium fit, si tale in alterius manum venerit, an huic exceptio non acceptæ Valutæ obstat. Quia vero Valutæ solutio ad naturalia Cambii pertinet & sic de ejus interventu præsumatur, contrariæ vero pactiones aliis sint ignotæ, potius dicendum est, illam exceptionem licet claris documentis nixam, contra tertium innocentem non invenire locum, scribenti tamen regressum contra primum cui cambium dedit reservandum. Quid vero, si elapso a tempore solutionis anno, ex provinciali statuto vires cambii amiserit; an tunc intra biennium exceptionem non numeratæ pecuniæ admittat? quod tunc concedimus, si de soluta Valuta Cambio nihil adjectum, secus, si consveto modo quittantia Valutæ addita, quæ non nisi intra triginta dies oppugnari poterit, per retro deducta: cætera quæ ad utilissimam materiam de cambiis pertinent, enucleatius propofita sunt a supra laudato Dn. Ludovici, in *der Einleitung zum Wechsel-Process*, quo avidum lectorem remittimus.

Th. XII

Th. XII.

Quemadmodum autem vera literarum obligatio, nullo scilicet alio concurrente negotio, præsumptam donationem & quidem irrevocabilem continet, ita quaecumque debitum scripta confessione solutionis tollitur, in illis quidem quæ antecedens negotium respiciunt; e. gr. daß nach gezogener Abrechnung der andre nichts schuldig geblieben/ sondern derselbe hiemit völlig quittirt würde/ liberatio statim & sine omni mora contingit; in casu vero transmissæ sub spe consequendi debiti liberationis seu quittance, hæc non nisi post trigesimam diem plenam liberationem tribuit; *d. l. 14. C. de non numer. pec.* ita quidem ut prorsus nullam probationem in contrarium admittat, vid. *Carpz. lib. 2. Resp. 90. n. 12. 13.* imo in præstationibus annuis, trium ultimorum annorum apochæ liberationem ab omnibus retro præstandis tribuunt. vid. *l. 3. C. d. Apoch. publicæ Argenti pag. 201.* quæ literarum effectus, se iterum in nullo alio quam in præsumpta remissione seu donatione se fundat; ubi coronidis loco notandum, quemadmodum supra demonstratum, quod ex nuda conventionem seu pacto non detur actio, ita ut nec in praxi hodie efficaciter institui possit, nisi in causis legibus determinatis, ita quoque per pactum de non petendo non accedente acceptilatione aut jam dicta literarum

Quomodo
litteris obligatio tollitur.

(11)

rum contestatione seu apocha, plenam liberationem non contingere, sed tantum exceptionem contra paciscentem competere; cujus elegans ratio datur in *l. 27. §. 2. ff. d. Pact. verb.* quia in stipulationibus jus continetur, in pactis factum versatur; dantur tamen etiam in causis singulariter exceptis pacta liberatoria; ita cum pactum libertatis sit pactum legitimum, pactum de non exigendis servitiis, sine accedente scriptura liberabit ab onere servitutis; simile apparebit, in pacto, super causa injuriarum vel furti. *l. 17. §. 1. ff. d. pact.* item in pacto super negotio mere consensuali, scil. re integra interposito. vid. *l. 27. §. 2. & 58. ff. d. pact.*

Th. XIII.

Hæc quasi per transennam & currenti calamo de literarum obligatione secundum juris Romani principia conjicere volui, non quod ad demonstrandas contractuum fontes adhuc necessarium sit, quosdam ad solas literarum figuras referre; utpote quod jam diu abrogatum est. arg. *§. 1. Inst. d. V. Obl.* multo minus hic constitui negotia recensere quæ vel ad solennitatem vel ad perpetuam probationem literas simul requirunt, sed tantum ostendere volui, quomodo deficiente omni alio modo efficaciter alterum obligandi, ex mente Triboniani litteris hoc fieri possit; Ubi mores ex Papatu, apud protestantes etiam ad huc recepti, quintum contractuum fundamentum, nempe juramentum adjecerunt, quo

in

Quinta species contractuum.

in certis negotiis jurans obligatur, qui alio modo firmiter constringi non poterat. Quibus omnibus melius carere possemus, si juxta Veterum Jurisprudentiam, non tam aliena nimis a-^{que omnia melius rejicienda essent.} vide appetere quam propriis recte uti, melius affuesceremur, quod multis modis impeditur, 1. dum præceptum decalogi de non concupiscendo, inter, omnia reliqua naturaliter cognitu difficillimum, vid. *Epist. ad Rom. c. 7. v. 7.* & ad veram tranquillitatem animi pertinens, studio partium sæpius ab ipsis Doctoribus laceratur & obfuscat; ut sic dum a teneris fomes peccati non satis innotescat & præcaveatur, mirum non sit varios exinde peccaminosos partus prodire, juxta *Ep. Jac. c. 1. v. 15.* cui 2. accedit, quod JCTi ab una parte non contenti illis determinationibus quibus propter communem humanam indigentiam necessitas præstationis statuta erat, erudita quasi arte, alterum a libertate mutandi propositum, variis excogitatis cautelis præcludere nitantur; ab altera vero parte apicibus juris nimis insistendo, æquissimam damni averfionem, a parte adversa etiam in negotiis alias concessis, non satis ante oculos habeant, & sic indevotionem suam legitimis quasi velamentis protegere studeant, contra monitum Imperatoris in *l. 35. §. si c. d. donat.* vid. quoque *l. 38. in fin. verb. malitiis, non indulgendum.* ff. d. *Rei Vind. it. l. ult. C. per quas person. acq. §. l. 1. ff. d. solut. verb. æquissimum est, creditorem ita agere rem debitoris, ut suam ageret; in quibus*

(24)
bus defectibus meliora tempora animitus exoptamus. Interim benevolum Lectorem rogamus, ut si forte in aliquibus dissentiat, potius modeste monere, quam acute perstringere velit.

SOLI DEO GLORIA.

Errata potiora: pag. 8. lin. 14. loco Olim. lege Nobis,
pag. 14. lin. 2. loco cavere; lege carere.



154547

ULB Halle

3

003 890 457



sb.

10.17

R





14
LITTERARUM
OBLIGATIO A DO-
CTORUM ERRORIBUS

VINDICATA,
DISSERTATIONE JURIDICA INAUGURALI,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, RELIQUA,
IN REGIA HAC FRIDERICIANA
PRÆSIDE

DN. HENRICO BODINO,
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS BORUSS. CON-
SIL. ECCLES. IN DUCAT. MAGDEB. PROF. JUR. ORDIN.
ET FACULT. JURID. h. t. DECANO,
PATRONO AC PROMOTORE SUO ÆTATEM
DEVENERANDO,

PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
CONSEQUENDI

Ad d. Novembr. M DCC XIII. Horis ante- & pomeridianis
Publicæ Disquisitioni exhibitæ

DANIELE HAMPIO, SORBIGA-MISNICO,
Not. Publ. Cæs.

HALÆ MAGDEBURG. Typis Joh. Jacobi Krefßii, Acad. Typogr.

(XIV.)

